

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Solutione. Cap. LI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

res non fugit, nisi spiritus, & quæ spirituum naturæ approximât. Descriptio verò omnium quæ narrata sunt novissimè est hæc.

*De Solutione.*

CAP. LI.

**D**E solutione sermo noster ampliatius innuit, solutionem rei siccæ in aquam esse redactionem. (Solutio est solidæ & siccæ rei in aquæ essentiam redactio.) Dicimus igitur quod omnis solutionis perfectio adducitur cum aquis subtilissimis, & maxime acutis, acribus & ponticis, secem nullam habentibus; Sicut est acetum distillatum, & uva agrestis, pruna acerba, & pira multæ acritudinis, & mala granata similiter distillata, & his similia. Fuit autem causa inventionis ejus, subtiliatio eorum, quæ nec fusionem competentem, nec ingressionem habent: de quibus magna utilitas amittebatur spirituum, & eorum quæ suæ naturæ sunt. Nam omne quod solvitur, necesse est salis, aut aluminis vel eorum consimilium naturam possidere. Est autem natura eorum, quod fusionem dant ante illorum vitrificationem. Ergo & spiritus soluti fusionem præstabunt similiter similem. Cum ergo multum ex natura sua corporibus, & sibi invicem, convenient, habita

habita fusione, necesse est per illam corpora penetrare & penetrando transmutare. Ad hoc verò sine magisterio non pervenitur: quod est scilicet, ut post solutionem & coagulationem illius administretur illi aliquis ex spiritibus purificatus, non fixus: & totiens ab illo sublimetur, quousque secum maneat, & illi velociorem præstet fusionem, & ipsum in fusione à vitrificatione conservet. De natura enim spirituum est, non vitrificari, & à vitrificatione commixtum salvare, donec in eo fuerint. Spiritus ergo qui magis naturam servavit spiritus, magis à vitrificatione defendet. Magis autem servavit spiritus solummodo purificatus, quàm purificatus fixus, calcinatus atque solutus. Ideo necesse est simul permisceri. Resultat enim in his bona fusio, & ingressio, & fixio permanens. Ex operibus autem naturæ probare possumus: solifalium, & aluminum, & similibus naturam possidentia, solubilia esse. Nos enim in operibus illius omnibus considerantes, non invenimus alia solvi præter illa. Igitur quæcunque solvuntur, necesse est per illorum naturam solvi. Sed quia videmus omnia verè calcinata, per reiterationem calcinationis & solutionis solvi, ideoque manifestè probatur per hoc, omnia calcinata ad solifalium vel aluminum naturam appropinquare. Ideo sese in proprietatibus necesse est

est concomitari. Modus verò solutionis duplex est, scilicet alius per finum calidum, & alius per ferventem aquam: quorum est una intentio, & unus effectus. Modus ergo per finum est, ut ponatur calcinatum in ampullam vitream, & super illud fundatur quantitas aceti distillati vel consimilis, duplum ejus: & obturetur optimè os vasis, ne aliquid respirare valeat: & sub fino tepido multæ quantitatis, ut sit benè calidus, triduo dimittatur: & postea per distillationem filtri, solutum removeatur: non solutum verò iteratò calcinetur, & post calcinationem iteratò similiter solvatur, cum duplo aceti novi distillati vel alterius rei & sic continuè donec per reiterationem operis super illud, totum solvatur, vel major pars ad exigentiam. Modus verò qui per ebullientem aquam fit, velocior est & melior. Et est, ut calcinatum in ampullam similiter ordinetur cum aceto, obturato foramine ne respiret: quæ in caldario pleno aquâ & stramine sepeliatur, ut in distillationis modo per aquam præceptum attulimus per ordinem: & postea succendatur sub ea ignis, donec aqua per horam ferveat. Post hoc verò solutum distilletur, & seorsum fervetur: non solutum verò iteratò calcinetur, & iteratò eodem ordine solvatur, donec per reiterationem totum solvatur. Descriptio ejus quod nunc dictū est, hæc est.